
VE
RI
TAS

AD MEMORIAM

SOLEMNIS DIEI, QUO ANTE TRIA HAEC SECULA

CONFESSIO AUGUSTANA RENUNTIATA EST,

PIO, QUO DECET ANIMO, CELEBRANDAM,

INVITAT

Friedrich Wilhelm
DR. *F. G. KLUGE*,
RECTOR ET PROFESSOR GYMNASII MAGDALENAEI.

VRATISLAVIAE,
DIE XXV. IUNII ANNI MDCCCXXX.

Inter praeclaros viros, quorum ingenio atque eruditione instaurata bonarum artium studia subtiliorque religionis tractatio laeta ceperint incrementa, Desiderium Erasmum Roterodamum referendum esse, neminem fugit. Vix enim reperitur ullum sacrarum et humanarum literarum genus, quod non tanta sagacitate persequutus sit tantaque in exprimendis sententiis elegantia illustraverit, quanta nemo ante eum in tam multiplici dicendi genere uteretur, ut, in quo uno alterove singularem eamque unicam collocasset operam, in eo facile summum obtinere locum potuisse videretur. Atqui non in excolendis solis disciplinis et in depellenda superstitione magni viri sollertia versabatur, sed ipsius, quo vixit, aevi indolem rerumque publicarum conditionem scriptis, usu et familiari cum principibus aetatis viris consuetudine ita moderabatur, ut non modo totius Europae cultura promoveretur, sed liberalius quoque cogitandi studium inde excitaretur, quod gravissimum emendandae religionis opus mirifice adiuvit. Quid autem dicam de orationis festivitate atque lepore, quo legentium animos iucunde ac suaviter oblectat, quid de ingenii acumine, quo inanes scholasticorum formulas disserendique subtilitatem redarguit, quid de politissimis facetiis, quibus monachorum ignorantiam, stoliditatem, superstitionem perstringit, quid tandem de lepidissima cavillatione, qua formularum in rebus sacris cantores, minutiarum aucupes, nugarum admiratores irridet? Licet vero magis lacessendo, quam palam impugnando ostenderet, quibus et quantis ingenii doctrinaeque


armis dimicare posset, si pugnam sustinere voluisset, nihilominus tamen sublimioris facultatis ope elegantiorisque doctrinae copia effecit, ut in primis aetatis suae viris numeraretur et imperatorum, regum, principum gratia atque favore celebraretur. Vidit enim Anglia ingeniosi viri studium antiquae ecclesiae vitia castigandi; spectavit Helvetia eius celebritatem singularemque agendi prudentiam; admirata est Gallia festivam in explicandis disciplinis dicendi concinnitatem; suspexit Germania virum in humanitatis literis optime versatum; ponderavit tota Italia liberalis eruditionis rationem, quam in tractanda theologia iniit; exspectavit Roma ab eius ingenii fulmine acerbissimos ictus adversariis infligendos.

Minime igitur mirum videri debet, Erasmum in tanta famae celebritate summis laudibus cumulatum et ab omnibus ad ipsorum partes tuendas esse provocatum. Hoc inprimis tentarunt, qui sacris literis operam dabant et ecclesiae opem et salutem ferre conabantur. Inchoata enim religionis emendatione, quum rerum sacrarum et publicarum status valde mutaretur, a patronis utriusque ecclesiae, sive ad pristinam disciplinam servandam, sive ad recentem conditionem stabiliendam, tales viri desiderabantur, quorum facultatibus et doctrinae subsidiis res ad prosperum eventum esset adducenda. Unde factum est, ut, quum fidem suae ecclesiae usque ad mortem constanter professus esset, et quodcunque cum auctoribus emendatae religionis consortium vitasset vel potius reformidasset, a Catholicis plurimi aestimaretur ex eiusque continua confessione argumentum colligeretur, optime rem talis ecclesiae geri, in cuius gremio vir inter doctos aequales facile princeps tantisque virtutibus ornatus et literarum tam sacrarum quam profanarum scientia instructus mansisset. Quum vero Erasmus iam ante primordia reformationis scriptis dictisque multa de inveteratis vitiis ex communi ecclesia tollendis et de clericorum pravitate disputasset, immo ad auctorem emendatae religionis, Lutherum nostrum, literas scripsisset, quibus eius constantiam, ingenii subtilitatem et piam mentem laudaret, omnes, quibus purior divinae disciplinae lux affulgebat, laeto animo sperabant, fore, ut Erasmus, veritatis ille subtilis scrutator, interpretandi sacri codicis ingeniosus magister,

potentissimorum regum et principum familiaris, ab ipsorum partibus staret. Quae spes quum eos fefellisset, immo, quum ille libellum contra Lutherum edidisset et magni restitutoris nimium animi ardorem improbasset, aegre viro carebant, quem tum certe pro firmo ad muniendam evangelicam ecclesiam propugnaculo habebant. Unde factum est, ut iudicia de Erasmo diversas in partes abirent, eiusque sentiendi ratio ac consilia ab altera plurimi aestimarentur, ab altera plus aequo desiderarentur.

Quod si vero procul ab omni partium studio rem accurate consideramus, nullam esse causam facile inveniemus, cur viri catholicae formulae addicti sibi gratulentur, quod suum fuisse Erasmum dictitent, aut cur ii querantur, qui evangelicam profiteantur doctrinam, quod divini operis exstruendi auxilium recusaverit. Etenim non solum peropportunum suoque ingenio magis consentaneum arbitrabatur in tam ancipiti rerum conditione et in tam difficili disceptandae causae quaestione personam otiosi spectatoris sustinere, quam in acerrimae pugnae discrimine periclitari, sed etiam, ademta pontifici maximo cura, publico quasi documento ostendere, se nunquam pietatis vincula, quibus obstringeretur, rupturum aut consuetam ecclesiae disciplinam relicturum. Licet vero haec ratio piam prae se ferat mentem, fieri tamen non potuisse videtur, quin subtiliori Superiorum prudentiae satisfaceret, quippe quibus non tam opus esset obedientissimis ecclesiae filiis, quorum penuria non admodum desideraretur, quam strenuo aliquo eruditissimoque viro, qui aequis armis cum Luthero, Melanchthone sociisque contenderet et gravi momento atque auctoritate sua difficile certamen ad exitum adduceret. Quod periculum quum Erasmus non faceret et in arenam una cum ceteris doctis celeberrimisque catholicae ecclesiae propugnatoribus descendere nollet, omnino eam opem, quam recte et iure ab eo sperare poterat ecclesia, non tulit eiusque optatis respondisse non videtur. Quam ob causam ab aequalibus crebris opprobriis vexatus, invidia oppressus, de ambiguae mentis consilio suspectus, tandem humanarum rerum pertaesus in extrema vitae descriptione, quam ipse confecit et *Ἰλιάδα κακῶν* nominavit, acerba recordatione questus, — id quod omnibus fere beatis accidit


VE RI
TAS



Quam ob causam evangelica ecclesia indefesso studio ac labore id semper spectavit, ut viri satis idonei nunquam deessent, qui librorum sacrorum interpretationi sedulam navarent operam, ad quos subtilior doctrinae ratio dirigeretur et facultas libere meditandi excoleretur. Ut enim in rerum natura nulla efficacium virium reperitur cessatio, quin deminuantur atque in deteriorem partem declinent, ita in divinarum quoque rerum occupatione quaevis institutae contemplationis intermissio ignaviam parit et ingenia deprimit.

Tali autem animi quasi torpori et socordiae ecclesia nostra adversari studet et quantum fieri possit, impedire, ne sacri codicis explicatio unquam interpelletur, neve ab infirmis ingeniis tractetur, vel ab insanis pervertatur. Hoc enim consilio in hominum animis recens sacrarum rerum persuasio servatur, et non solum mentes divina redemtoris doctrina perpetuo illustrantur, verum etiam ipse Christus nostra pectora occupat, in nobis reviviscit et singularem quasi formam induit, ut, quamquam oculis nostris non spectandus, praesenti tamen numine in nostris animis coelestem institutionem contineat vitamque augustiorem reddat.

Hanc vero viam, arduam quidem laborumque plenam, sed sublimem et excelsam, ingredi non ausus est Erasmus, sive insito quodam metu deterritus, sive quod desperabat, se hoc modo religionem ad meliorem conditionem esse adducturum. Quae quum ita sint, aequi humanarum rerum iudices fateantur necesse est, Erasmum, etsi neutri ecclesiae in ipso dimicantium concursu multum commodi aut incommodi attulerit, hoc tamen ipso agendi studio, quantumvis diversa ratione et diverso consilio, christianae doctrinae egregie consuluisse et grata memoria debitaque posterorum laude esse dignum. Etenim optimarum artium studia scriptis et institutione per omnes fere terras propagavit viamque literarum munivit, qua facile progredi possent, qui non solum theologiae scientiae exornandae, verum etiam stultitiae et superstitionis tenebris discutiendis operam darent. Ad haec merita accedit acutum eius ingenium, quod in tractanda sacra disciplina cernitur, et pium consilium atque singularis facultas,

quae ex interpretatione librorum novi foederis apparet, in quibus, si quid dubi reperiebat, quod ad singulos catholicae disciplinae locos relatum discrepantiam efficeret vel contrarium doctrinae videretur, communis ecclesiae iudicio subiicere, quam propriam opinionem sequi maluit nulla alia causa motus, quam quod timebat, ne imbecillos animos perturbaret aut se ipse tempestatibus exponeret, quibus luctari non valeret. Ad res tam arduas peragendas Deus sapientissimus elegit sibi viros ingenii acumine praeditos, eruditione insignes, animi constantia probatos, qui hominum timore vacui vel coram minantibus imperatoribus et principibus libere renuntiabant placita, quae ex diligenti librorum sacrorum interpretatione essent collecta.

Havete piae animae! fortia pectora! candida ingenia! quorum studio ante tria haec saecula Christi doctrina a temporum labe purgata denuo est restituta. Divino enim Spiritu afflati, caduca mortalium bona aspernati, principum coronam intrastis nullo alio praesidio stipati, quam constanti in Deum fiducia certaque persuasione ducti, ex eo esse profectum, quod moliremini opus, et per eum duraturum. Quamquam multa estis perpessi et fervida cum viris in summa potestate positis committenda erat pugna viresque saepe deficere videbantur, egregiam tamen reportastis victoriam et sacra palma vos ad beatorum sedes evexit, ubi aeternae lucis claritate circumfusi perspicue cernitis, quae nos in adumbrata tantum imagine intuemur.

Vobis coelestia arcana sunt aperta, quae nobis formis terrestribus modo significantur; vobis sunt secreta Dei consilia detecta, quorum reconditum sensum coniectura magis amplecti quam ratione comprehendere valemus. Havete! piae animae! nam terrarum aerumnis sublati non sensistis, quae subsecutae sint tempestates, non vidistis Germaniam per tot annos funesto bello flagrantem, non fanaticorum tumultus, clericorum discordias, non denique simulatam multorum pietatem temerariumque antiquandi furorem. Quarum rerum notitia si mentes vestras attingeret, sive excelsior natura ad hominum sentiendi indolem descenderet, acerbum sane dolorem vobis iniiceret et futuri temporis tristia

omina excitaret; attamen si inter tot religiosa aevi prodigia laeta quoque purae disciplinae incrementa intuendi facultas praeberetur, valde laetaremini et nobiscum superstitibus beatissimi seculi indolem praedicaretis, quod purior oriatur veritatis lux, quod piissimus noster Rex animo forti et aequo valeat et minitantia pericula propulset ab evangelica ecclesia, quae quum aeterno Christi verbo nitatur et Sancti Spiritus dotibus continuo illustretur, vel ab caeca inferorum numinum potestate nunquam subverti poterit.

At nostrum est, augustam vestri memoriam colere continuando opere a vobis suscepto, cuius ingenium magis quam verborum sonos attendamus sensumque mente potius quam literis notatum teneamus. Nam quae a vobis proposita fuit fidei norma, temporalibus expressa est vocibus, quarum vis et ratio mutabilis est: Christi dicta manent et manebunt in aeternitate temporum.

Ad haec solemnia, quantum temporis brevitate fieri licuit, rite instituenda Patribus Civitatis nostrae placuit, ut proximo die Sabbati,

qui est XXVI. dies Iunii, hora IV.

tympanorum et tubarum concentu audito a discipulis Gymnasii sublimis ille Lutheri hymnus: „*Ein' feste Burg ist unser Gott*“ praecinatur. Tunc Collega noster coniunctissimus, DR. *ERNESTUS FRIDERICUS GLOCKER*, Magdalenaei Prorector et Professor, cathedram ascendet et patrio sermone quaestionem tractabit: „num et qua ratione contendi possit, fidem vitamque christianam et ecclesiae formam magis magisque excoli ac perfici?“ Hac oratione habita communis cantatio huius diei solemnitati finem faciet, ad quam celebrandam

Viros Excellentissimos, Illustrissimos, Splendidissimos, Amplissimos, Reverendissimos, Gravissimos, Doctissimos, Humanissimos, ut frequentes adsint, ea, qua par est, modestia et verecundia, rogo.



